



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1663. usque ad annum 1674

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1780**

**VD18 90119193**

§. 100. Stephani Durantii Cardinalis decessus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67332](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67332)

Sæc. XVII.  
A. C. 1667.

§. C.

*Stephani Durantii Cardinalis  
decessus.*

Præter hos duos regnante Clemente IX. Papa adhuc alii tres ex Purpuratis hoc anno mortalitatem exuerunt, quos inter primus est Stephanus Durantius patria Genuensis, qui emenso studiorum curriculo Romæ legalibus disciplinis operam navavit, ubi etiam a Gregorio XV. utriusque Signaturæ Referendarius, Cameræ Apostolicæ Clericus, & ab Urbano VIII. annonæ Præfectus, Ecclesiæ Thesaurarius, demum vero Presbyter Cardinalis nominatus est. Postquam vero aliquamdiu Ferrariensi Legatione functus erat, ab eodem Pontifice in laboris, beneque administratæ Reipublicæ præmium Archiepiscopatu Genuensi honorabatur, quam Ecclesiam summa vigilantia usque ad finem Pontificatus Alexandri VII. moderatus, Seminarium pro Clericis, Monasterium pro Sacerdotibus Congregationis Missionum, necnon Rurales Diæcesis suæ Ecclesias aut recens erexit, aut collapsas suis sumptibus restauravit: dimisso demum Episcopatu suo aliquamdiu in Romana Curia pie sancteque, uti Principem Ecclesiasticum

*Gualdus in  
Hist. Ughel.  
Ital. Sacr.*

cum



Sæc. XVII. cum decebat, vixit, & placidissime die  
 A. C. 1667. vigesima secunda Julii annos natus se-  
 ptuaginta in Domino obdormivit.

## §. CI.

*Odorardus Vecchiarellus Cardinalis  
 mortuus.*

*Ciacon. in  
 vit. Alex.  
 VII.*

Ejusdem quoque Mensis die ultima  
 decessit Romæ Odoardus Vecchia-  
 rellus patria Reatinus. Hic per va-  
 rios honorum gradus, quos impigni-  
 labores pro Ecclesiæ utilitate exanti-  
 lati præcesserant, tandem ad Reati-  
 num Episcopatum & Cardinalitiam  
 dignitatem ascendit, moxque pluribus  
 cooptatus est Congregationibus, quas  
 tamen frequentare haud poterat, eo-  
 quod partim ab urbe absens, partim  
 gravi diuturnoque morbo impeditus  
 esset: Attigit nonnisi quinquagesimum  
 quartum ætatis suæ annum.

## §. CII.

*Ernesti Adalberti de Harrach Cardi-  
 nalis decessus.*

*Vittorell. in  
 add. ad Ciac.  
 Tuld. Hist.  
 Decan. l. 3.* Postremus ex Purpuratis hoc anno  
 denatis erat Ernestus Adalbertus  
 de Harrach natione Germanus, qui  
 Romæ bonarum artium studiis insigni  
 profectu vacans, Pontifici a cubiculo  
 erat,